

Tardieu filius inv. et Sculp.

SERENISSIMO PRINCIPI
JOANNI-BRETAGNE-CAROLO-GOTHOFRIDO
DE TREMOLLIA,
TOARSENSIUM DUCI, PRINCIPI TARENTINO, Lavallensium Comiti, Baroni de Vitræo, &c. Pari Franciæ, Comitiorum Armoricæ Præsidi Nato
DEDICAT ACTUS MODERATOR.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii vigesimâ-septimâ mensis Januarii, anno Domini M. D CC. XLV.

M. GUILLELMO RUELLAN, Doctore Medico, Præside.

Daturne Status hominis perfectè sanus?

I.


UNQUAM lugenda satis hominis lapsi conditio. Infinita propè, quibus obruimur, mala; stipendia totidem primi Parentis peccati. Mors, morborumque cohors numerosissima humanam gentem cingunt undiquè. Ipsi cælum & terra mille mortes parant. Corpus, & animam innumeræ premunt miseriæ. » Nullum tempus excipitur: » medio de fonte leporum surgit amari aliquid quod in ipsis fau- » cibus angat; Bellum in mediâ pace consurgit; (*a*) invadit temperatissimos

(*a*) Th. G. Patin. Est ne totus homo à naturâ morbus? Die Jovis decima septima Decembris 1643.

» morbus, validissimos febris; & morbi causas, si alia deficiunt, nimia sibi feli-
» citas invenit. « Hominem tamen ne credas totum à naturâ morbum. Damnatus capite, vitâ gaudet paulisper; quidni & morbis obnoxius sanitate quandoquè frueretur? Næ si datur Status in quo omnes perfectè exercentur functiones, Status ille debet haberi perfectè sanus.

II.

NIHIL extrà leges œconomiæ animalis peragatur; nullæ ferientur functiones in humano corpore; mirabilis corpus inter & animam, divino nutu constituta, harmonia vigeat, ita ut monita corporis, ejus scilicet motus subitaneos & improvisos mens præsto sit audire, imperantisque animæ jussa citò & ritè exequatur docile corpus; perfectam tunc adesse sanitatem num quis inficiabitur? Functionum integritatem, sanitatis essentiam meritò dixeris; hæc stare non potest, si vel minimùm lædatur illa; at ubi nulla læsio functionum, ibi nec morbus. *Bonum*, inquiunt, *ex integrâ causâ*, *malum ex quocunque defectu.* De nullâ re aptiùs quàm de sanitate adagium illud potest dici. Functiones integræ, integra sanitas idem sonant. Quid ergò, cùm integrè exercentur functiones, Statum perfectè sanum dubitares affirmare?

III.

LABORIBUS iisdem, iisdem exercitiis pares, cuncti non nascimur; nec iisdem par omnis ætas ejusdem hominis. Sua sunt cuique temperiei, cuique sexui, sua cuique ætati propria. In pueritiâ & juventute, in corpore fœmineo virile robur non requires ad sanitatem, nec gravissimum senem, pronunciare sanum recusabis, quòd ipsius genas non juvenilis flos inumbret, vel quòd effugerit artus agilitas. At ritè possunt exerceri functiones in utroque sexu, in temperie quâlibet, in quâlibet ætate, vel in recèns nato. Sanus utero exclusus, ad ubera recèns enixæ matris admotus, præstantissimum cibum à naturâ sibi paratum, sugit lac, quo vitam sanitatemque fovet. Ipsi cutis æqualis, nullis aspera maculis, habitus floridus, caro firma; nullis cruciatur torminibus, in dies fit habitior, expanduntur paulatim, firmantur artus, ad exercendos voluntarios motus aptiores evadunt. Quis sanæ mentis in hoc tenellulo infante functionum integritatem vigere negabit? Quis eundem perfectè sanum non agnoscet? In utroque sexu paria ferè omnia ad pubertatis usque tempus: tunc puellæ maturæ viro singulis mensibus erumpere debent Catamenia ad annum circiter quadragesimum quintum, aut quinquagesimum, & in plurimis, sivè nuptis, sivè innuptis mulieribus, modo & tempore debitis fluunt, non modò absque læsione functionum, sed ad illarum integritatem. In multis hujus purgationis tempus nulla sequitur infirmitas; imò quandoquè temperies anteà debilis roboratur, majoribus & difficilioribus apta fit. Non infeliciùs progreditur à pueritiâ ad juventutem, ad virilem ætatem, ad senectutem sexus alter. Non deficit in utroque qui sic loquatur: *Benè valeo: bibo, cùm sitio; epulor, ubi esurio; ambulo, cœno, semper præstò fames; mecum lecto componitur, mecum manè evigilat: interdùm ludo, interdùm laboro: dum lubet, vigilo: dormio quandoquè.* Sic omnis sexus, omnis ætas.

I V.

NEC ineptè gloriatur de eâdem functionum integritate temperamentum quodvis, quocunque sensu vocabulum illud accipias. Sive in sanguineum & pituitosum, in biliosum & melancholicum, in humidum & siccum, in calidum & frigidum divisio arrideat; sive nativæ constitutionis corporis virium gradus varios varia temperamenta lubeat habere. Si vel paululùm dubitas; attende, quæso, ad ea quæ singulis diebus eveniunt. Plures simul discumbunt mensis diversæ temperiei homines, assumit quisque (si sapiens) non quæ & quantum libet, sed quæ & quantum ferre potest ventriculus, & facilè concoquere. Digestio inde non operosa, perfecta chilosis. Novo & laudabili adveniente Chilo ditescit sanguis, abundantiùs affluit ad Cor; hinc cordis dilatatio major, vehementior contractio, fortiùs pulsant arteriæ, velociùs movetur sanguis, fœtusque omni humore secundario, incerniculis quibusque exquisitam secretionum materiam munificè largitur. Hinc succi nervei copiosior secretio, major influxus, omnia organa aptiora suis obeundis muneribus, cunctarum partium vis adaucta, tota machina vegetior. Dic, amabo, quam tunc functionem feriari putas? Certè, si bona fide, nullam. Exemplis millè rem confirmare pronum foret ac facile. At sit unicum tibi instar mille. Virum novimus. Beatus ille sedecimum agit Lustrum. Si videas, perfectâ functionum integritate gaudere ultrò fateberis. En adest inter amicos; pransurus advenit. Ex hilari & serenâ fronte corpus nullo dolore affici, quietum animum nullis vexari curis facilè judices. Ad mensam cibis opimis refertam, primo loco sedet verè dignus qui convivio præsit. Ipsi fames non mediocris; sitis par. A dextrà Nectaris Burgundi lagena, à sinistrâ sat grandis Cyathus. His armatus sic orditur. Primò amico liquore, nullâ adulterato mixturâ, prudenter irrigat fauces, ne ab eduliorum condimentis, forsan acrioribus, vellicentur injucundè. Dein quoscunque cibos petit securo dente, nec ullum auferri sinit ingustatum. Meraciùs bibit; & frequenter, nunquam ad numerum. Non uni Burgundiæ datur illius sitim compescere; veniunt in partem honoris Mosella, Rhenus, Campania, Hispania, & alia quæcunque tellus vini optimi ferax. Sapienti illius palato ubertim fluunt exquisitioris cujuscunque potûs rivi. Convivas lætus verbo excitat & exemplo. Cessantibus aliis, cessat ipse, non tam satiatus, quàm amicis obsecundans. Offertur potus Caffe? Duplici se recreat dosi; canere posteà, ludere, deambulare, vel aliud quid agere æquè paratus; exit serenus; ut advenerat; horâ convenienti tranquillè somnum capit, crastinâ die eadem acturus, & sic diebus singulis. Vale perfecta sanitas, si nullibi es! Hâc ego amici functionum integritate contentus vivam: erit illa mihi semper sanitas.

V.

» TOTUS hic orbis (aiebat vir sanè eruditus; & emunctæ naris) valetudinarium est, in quo non omnes decumbunt ægri, sed eorum multi pro » sanis ambulant; pauci morbum suum vident, omnes amant. « At quis putet hæc veriùs dici quàm ingeniosiùs. Nitidè quidem & eleganter probat hominem sæpè in utero pati multa, aut occidi, vix natum perimi, nullam ætatem à morbis esse liberam, nullam partem corporis, quam, plurium morborum sedem non rectè diximus; fluidis & solidis sua esse incommoda, plures insuper morbos universales, Patin. ibid.

unamquamque regionem, ſuos habere; tempeſtatem quamlibet ſuos afferre morbos, nec ſolum corpus morbis obnoxium, multis etiam animum torqueri. Hæc ille demonſtrat, nos minimè negamus. Dari ſtatum perfectè ſanum, ſubjectum Phyſiologiæ eſſe quid reale tantummodò contendimus. Si non daretur ſtatus ille, vana profectò quæ Phyſiologica dicuntur, vana quæ de humorum naturâ, de uſu partium ſolidarum; verbo vana quæcunque de corporis humani ſtatu naturali ſeu ſano prædicantur. Non aliter ſentit ipſe PATINUS. *Specioſa*, inquit, *illa ſanitas lubrica eſt.* Ergo exiſtit. Et aliàs: *Sanitatem quam fecere ſubvertunt.* Ergo ſtabat ante.

Ergo datur ſtatus Hominis perfectè ſanus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Pathiot.

M. Franciſcus-Nicolaus Gautier du Rocher.

M. Joannes-Claudius Munier, *Conſiliarius Medicus Regis ordinarius, & Domûs Regiæ Invalidorum.*

M. Joſephus Lallemant.

M. Petrus Poiſſonnier.

M. Antonius le Camus.

M. Achilles-Franciſcus Fontaine, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*

M. Jaannes-Baptiſta Chomel, *Medicus Regis Ordinarius.*

M. Hyacinthus Baron.

Proponebat Pariſiis, JOANNES-FRANCISCUS PARIS, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. A. R. S. H. 1745. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.